

## GAGUINUS (Robertus)

## POEMATA VARIA (515 vers)

Les poèmes rassemblés ici se trouvent, épars, dans la correpondance de Robert Gaguin, publiée, en 1903, par Louis Thuasne, chez Emile Bouillon.

## DE HOSPITA VERNONENSI. JOCUS.

P\_1 v.1 Cum facturus iter Vernonem intraveris, hospes,  
 2           aspice qua pendet diva Maria domo.  
 3 Illo divertas, tibi se mox hospita prodet,  
 4           basis quae bucca suaviter excipiat.  
 5 Corpore non ingens nec viribus ampla virago  
 6           sed leni et solida carne puella nimis  
 7           nec tumet uberibus Normanno pondere pectus,  
 8           credideris pomis exsiliisse sinum.  
 9 Quam queat expassus totam vestire capillus  
 10          et Veneris rimam crinibus occulere.  
 11 Cetera sobria quae tangi matrona ruberet,  
 12          albentes coxas, inguina, crura, nates,  
 13          haec pudor attingi vetuit, nec passa fuisset :  
 14          est illi concors forma pudorque simul.  
 15 Quae vero hospitibus sunt multa dicacibus apta,  
 16          risus, verba, jocos, fulcra, cubile, merum  
 17          sedula praestabit, et voce et mitis ocellis,  
 18          nec stipem injustam tollet iniqua tibi.  
 19 Si me non alio curarum turba vocasset

## LODOICO XANTONUM ANTISTITI.

P\_2 v.1 Si me, praesul, amas, si vis perstare beatum,  
 2           ne vatem appelles lepidiore joco.  
 3 Invidiosa nimis geritur res. Est prope dignum  
 4           compede, Musarum consenuisse foro.  
 5 Mox aderit quisquam multum cerebrosus et audax  
 6           Scotides argutus, plus muliere dicax.  
 7 Hem scelus, hic praeter sacrorum jura, poeses  
 8           devocat ex Nysa, numina prisca colit.  
 9 Cedat, et immundo non foedet pulpita cantu,  
 10          quo potuit Circe fallere corda dolo.  
 11 Sic bacchatur iners sibi prudens turba Cleanthum ;

12        sic lippa est, rutilo sidere laesa furit.  
 13      Ergo mihi et Musis quae possum forte canenti  
 14        nominis et tituli nil precor addideris.  
 15      Invidiosa nimis geritur res. Est prope dignum  
 16        compede, Musarum consenuisse foro.  
 17      Mox aderit quisquam multum cerebrosus et audax  
 18        Scotides argutus, plus muliere dicax.  
 19      Hem scelus, hic praeter sacrorum jura, poeses  
 20        devocat ex Nysa, numina prisca colit.  
 21      Cedat, et immundo non foedet pulpita cantu,  
 22        quo potuit Circe fallere corda dolo.  
 23      Sic bacchatur iners sibi prudens turba Cleanthum ;  
 24        sic lippa est, rutilo sidere laesa furit.  
 25      Ergo mihi et Musis quae possum forte canenti  
 26        nominis et tituli nil precor addideris.

ROBERTUS GAGUINUS JACOBO VIMPERSELINGO SPIRENSI.

P\_3 v.1    Lilia frondescunt, semperque virore recenti  
 2        aethera per liquidum candidiora valent.  
 3      Illa nec insurgens Aquilo, non Eurus aduret.  
 4        Fomes erit zephyrus, aura benigna, Deus.  
 5      Quin etiam cultos opulenti liliger orti  
 6        Carolus, humorem fundit et indit agris.  
 7      Curat et amplexu magno pretendere saepem  
 8        hostibus ; unde ferox sit cohibenda manus.  
 9      Unde igitur fieri marcentia lilia clamas,  
 10        est quibus ad vitam plurima fibra suam ?  
 11      Numquid odoratum sentis, nasute poeta,  
 12        quod suave inspirat pampinus hic redolens ?  
 13      Disce prius mentem (quem fers peccasse) coloni,  
 14        et lance appendas quod pia causa gerit.  
 15      Non erit hic raptor, nec certe foedus adulter,  
 16        nec temere quamquam dispuduisse feres.

VALE.

DE VALIDORUM PER FRANCIAM MENDICANTIU VARIA ASTUTIA,

P\_4 v.1    Nescio si mecum poteris ridere parumper,  
 2        Dum cano qui surgunt a pietate dolos.  
 3      Ad questum pietas aditus patefecit et artes,  
 4        et docuit nummis abdere muscipulas.  
 5      Aspice dum coeunt plebes solemnibus aris,  
 6        aut grandi emporio mercibus explicitis.  
 7      Mille hominum fletus falso maerore parantur,  
 8        plangitur et totis callibus ut doleas.  
 9      Hic forte adversa quem fecit tessera nudum,  
 10        causatur fures surripuisse togam.  
 11      Ille teges cui nulla fuit succendia plorat,  
 12        seque unum ex totis vix superesse focus.  
 13      Hic patrem mentitus agit cum pellice gnatos  
 14        alterius, cui sit pars tribuenda lucri.  
 15      Naufragus exposcit quae perferat era Iacobo

16 solstitioque uno vadit ab urbe diem.  
 17 Ostendunt alii vulnus miserabile cruris,  
 18 nec medicum invalidi, sed sibi dona volunt.  
 19 Est quoque qui nervis pro tempore sponte coactis  
 20 arentem dextram porrigit et digitos.  
 21 Hic scabie modica aut parva prurigine segnis,  
 22 assidue scalpit et novat ungue cutem.  
 23 Par alias fatuo, delirus ab arte cachinnos  
 24 elicit. Est horum plurima ubique lues.  
 25 Educat hos magna urbs et dives principis aula,  
 26 risus ubi multos provehit officio.  
 27 Alter ab inguinibus velut hernia torqueat atrox,  
 28 callidus haerenti sustinet exta manu.  
 29 Sunt qui robusti baculis nituntur euntes,  
 30 dum stipem accipiunt, stant pede post alacres.  
 31 Aspice quam multis sua turget sarcina frustis,  
 32 calceus et crater, sacculus, urna, chlamys.  
 33 Haec simul ex humeris non parvo pondere pendent,  
 34 tanta mole gravis anxius iret equus.  
 35 Grandibus adduntur votorum signa galeris,  
 36 vitraque de summo vertice proradiant.  
 37 Conclamat alii, superatis Alpibus, Urbem  
 38 lustrasse, et divi limina sacra Petri.  
 39 Nec reticent Sinai praerupti montis arenas,  
 40 Judaeamque una cum Babylone ferunt.  
 41 Caucasus est illis et Thule nota per ortus,  
 42 Afros et Gades circumiere solum.  
 43 Quot commenta diu seductrix Prucia fecit,  
 44 quot Graecus toto sit licet orbe vagus.  
 45 Cur risum teneas, cum caeli numina morbi  
 46 produci testes videris arabula.  
 47 Ille cadens foedas expectorat ore salivas,  
 48 et mirum garrit esse Johannis opus.  
 49 Sunt quos et ficis eremita Fiacrius angit.  
 50 Obstruis urinis, o Damiane, vias.  
 51 Urit et Antonius miserandis ignibus artus,  
 52 et pius ah ! Mancos loripedesque facit,  
 53 quos secuit justus forsan pro crimine lictor,  
 54 et procul a laribus trusit in exilium.  
 55 Sordenti peplo sunt qui caput undique nodant,  
 56 et Maturini vociferantur opem.  
 57 Est cui fert questum testudo petita sub undis,  
 58 et pelvi et simiis histrio gliscit opes.  
 59 Non una est nummis fallacia texta parandis  
 60 otia, dum vita deside scurra terit.  
 61 Ille lyra aut plectro per compita cantitat orbus  
 62 lumine, quem pone ductor avarus adest.  
 63 Hinc orditur anus connubia ficta puellis,  
 64 quas circumducit quaerere dona toro.  
 65 Altera lactantem genitricis ab ubere gnatum  
 66 fert gemebunda petens lucra puerperio.  
 67 Et plerique sibi venantur carcere nummos,  
 68 et mendicat iners presbyter exsequias.  
 69 Nonne vides questu fieri suffragia sacris,  
 70 a divis praede sumitur auspicio.  
 71 Horum rheda thecas sacrorum convehit ingens,  
 72 atque auri messem uestor ab aere legit.  
 73 Sic capit augur aves avibus, sic piscibus alto

74 gurgite praegrandis lucius eximitur.  
 75 Tota quidem variis agitatur Gallia praedis,  
 76 quas novus ambierit auctor hypocriseos.  
 77 Ecce recens aliis qui pro mercede tributum  
 78 bullatus cogat, undique rete facit.  
 79 Scilicet exportet quaesturam Barchinon audax,  
 80 longinquo e populo frater et Eulalius.  
 81 Qui levis ut cursor, quamvis insignia gestet  
 82 regis Aragonei quem facit ordo patrem ;  
 83 lilia Franca petens, dimittit apostata signum,  
 84 ne frustra nummos advena quaestor agat.  
 85 Talibus inventis pietas emungitur auro,  
 86 quod nocturna vorat alea, cena, Venus.  
 87 Claudite, pontifices, externis ritibus aurem ;  
 88 a grege pastoris est cohibere lupos.  
 89 Tot passim occurrunt exsili tegmine cives,  
 90 tot ruiturae aedes, tot pia, tot gemitus,  
 91 lex humana negat fontis laxare fluenta  
 92 ut vicina riges, dum tuus aret ager.  
 93 Sic jubet alma fides curare domestica primum,  
 94 praeque aliis natos ferre, fovere, alere.  
 95 Haec risu admixto consulto seria lusi,  
 96 lector, si rides, ludicra falsa cave."

## AD PETRUM DE BLARRORIVO FRATRIS ROBERTI GAGUINI EPISTOLA.

P\_5 v.1 Carmine Maeonides in caelos tollit Achillem,  
 2 et laudem Aeneae congerit arte Maro.  
 3 Tu, Petre, Sicilidem, Phoebea voce, renatum  
 4 vivere sublimem post sua fata dabis.  
 5 Est tua musa quidem divino plena boatu,  
 6 flectere quae possit nunc Acheronta modis.  
 7 Rideat Andegavis, saliat rex ipse Renatus,  
 8 et toto applausu Gallia nostra sonet.  
 9 Unum te poterit Latii objectare poetis,  
 10 unus et ipse sua gesta per astra feres.  
 11 Ergo te suavi plenoque sequemur amore,  
 12 si canere alterius non aliquando voles.

## PETRO DE BLARRORIVO ROBERTUS GAGUINUS SALUTEM PLURIMAM DICIT.

P\_6 v.1 Quas tibi laudes merito ferebam  
 2 has mihi balbo, Petre, quid reponis ?  
 3 Non bibi in Nysa latices dearum ;  
 4 ludis inertem !  
 5 Contine posthac modulos fluentes,  
 6 nec tuis corvum fidibus perornes ;  
 7 novimus quanti valeat Thalia  
 8 nostra theatro.  
 9 Legibus claustrum monachum gerentes,  
 10 tibia soli gracili sonamus.  
 11 Sat Jovem nobis fuerit precatu  
 12 reddere mitem.  
 13 Lauream caelo petimus perennem  
 14 nesciam fuco violare rectum ;  
 15 haec decet Sanctos quibus est amicum

16                   lumen Olympi.  
 17       Ceteri fama volitent inani,  
 18       et canant Martis nimios cruoress;  
 19       res Deum sacras humili locello  
 20                   ipse tuebor.  
 21       Sed quidem crates habeo benignus,  
 22       quod tuis meme socias camenis;  
 23       quos voles canta, referam quieto  
 24                   murmure voces.

PETRO DE BLARRORIVO ROBERTUS CAGUINUS SALUTEM PLURIMAM DICIT.

P\_7      v.1        Probe mones, silebo, sed tamen velim  
 2            feras quid ipse iambicis oles modis.  
 3            Id egit olim iniqua risibus cohors,  
 4            cachinno, scurra et omnis improbus, vorax.  
 5            Itan mihi paras jocos? Itan dolos?  
 6            Bona sed aure quicquid aggeres feram.  
 7            Juvabit esse quod scholae suos volunt,  
 8            puerus audiam viros quidem tacens;  
 9            nimis loquacibus labris scelus cadit.

Vale.

GESTORUM ALEXANDRI DE HALLIS BREVIS NARRATIUNCULA.

P\_8      v.1        Qui tibi majorum repetis monumenta per orbem  
 2            patris Alexandri gesta viator habe.  
 3            Hic placito superum prognatus gente Britanna  
 4            protenus a puero flexit ad astra gradum.  
 5            Non gazae meminit, nec avorum rura licetur;  
 6            pectore in eximio sola Minerva sedet.  
 7            Ergo freta emensus, et vastos aequoris amnes,  
 8            se totum ad studium Parisiense tulit.  
 9            Quo vel Socraticos vel summos quoque Platones  
 10           ingenio facile dexteriore praeit.  
 11           Inde polum et caelos et quae super astra geruntur  
 12           rimatus; didicit abdita fata Dei.  
 13           Sic tandem et meritis et digna laude probatus,  
 14           doctrinae et verbi fit sator atque pater.  
 15           Ast ubi theologis pugnax sententia venit  
 16           acciperetne minor signa magisterii  
 17           (nullus enim sacri doctoris signa ferentem  
 18           ex grege Francisci viderat orbis adhuc),  
 19           magnus Alexander cui mens persancta fuisset  
 20           ac devota diu et religiosa Deo:  
 21           "Ipse ego mox (inquit) certamina litis inique  
 22           extendam, nec erit cui suus obstet amor."  
 23           It vir, et induitur palla vilente Minorum;  
 24           quique magister erat, fit pius ecce Minor.  
 25           "Nos quid obest (dixit) humilem gestare togellam  
 26           qui pariter gerimus nomen onusque patris?  
 27           Quid contra impedit sublimi in nomine mentem  
 28           cordigeros fratres continuuisse piam?  
 29           Discipulos Christi quibus est lustrare popellos  
 30           quis ferat ignaros pandere scita Dei?"

31 Non tumet impluta caelesti flumine virtus,  
 32 nec sese extollit cui Deus auctor adest.  
 33 Mens humilis vacuata dolo conserva deorum  
 34 nec fama augescit, nec jacet ima colens.  
 35 Jam primum posthac doctor fraterculus ibo,  
 36 veste sub hac minimus parta tropaea gerens."  
 37 Sic ait ; hinc patuit Francisci semper alumnus,  
 38 laurea doctorum, qui tot ut astra nitent.  
 39 Tum demum ex superis captum geminare talentum  
 40 ne torperet iners, providus instituit.  
 41 At schola sacrorum quia nil satis ordine nosset,  
 42 cuncta quidem incertis sparsa fuere locis.  
 43 Hic prudens opifex doctrina atque arte celebris  
 44 compage et nervis consolidavit opus.  
 45 Primus in articulos divina volumina duxit  
 46 artis, et in morem retulit acta senum.  
 47 Quo duce praemonitus in proelia divus Aquinas  
 48 quotquot et usque legis fortius arma gerunt  
 49 nec quisquam adveniet (quamvis ars crescit in horas)  
 50 tam mente integra qui senis orsa latret.  
 51 Hauriet hinc potius veluti de fonte liquorem,  
 52 et tamquam exemplar preeferet usque virum.  
 53 Haec brevibus dixi : quae cetera multa supersunt  
 54 non vacat ut noris, qui citus ire paras.  
 55 Clauditur hoc saxo famam sortitus abunde  
 56 Doctor Alexander junctus in axe Deo.  
 57 Si quis honos meritis, si quis virtute coluntur,  
 58 hunc animo preefer, hunc venerare patrem.  
 59 Nec sorde et culpa pigritere per otia deses  
 60 nancisci studio quae Minor iste refert.

AD REVERENDUM PATREM DOMINUM FRANCISCUM TOLLETANUM, THEOLOGIAE DOCTOREM,  
ROBERTI GAGUINI EPIGRAMMA.

P\_9      v.1      Quamvis Ausoniis satis oblectare Camenis,  
 2                non pater invitus Gallica plectra feras.  
 3                Non ego, laudis amans, Romana ad compita carmen  
 4                ordior, hoc majus quam lyra nostra sonet.  
 5                Quae tua fortunis nostris fuit ancora virtus,  
 6                hanc sequor, hanc miror, hanc veneratus amo.  
 7                Illi si quid erit quod ludere fistula tentet,  
 8                venimus et laudes ferre per astra tuas.  
 9                Primitias igitur nostri jam sume laboris,  
 10                et mox augendus non sit inanis honor.  
 11                Italus ex Gallo factus precurrit Alanus,  
 12                in te qui nostri testis amoris eat.

1473, 12 DIE DECEMBRIS.

P\_10     v.1      Sic animus tulerat scriptis non prodere mentem,  
 2                nec saevis, Bosti, dentibus arma dare.  
 3                Undique nunc frendens spirat convicia livor,  
 4                sumit et ex arte probra poeta dicax.  
 5                Depravat quaecumque geras, quaecumque loquaris,  
 6                et male (proh) dictis pulpita concrepitant.

7 Credideram felicem impressis artibus orbem,  
 8 et fuerat, si non verteret hostis opes.  
 9 Rara fuit nuper castis facundia buccis ;  
 10 nunc strepit innumeris garrula lingua modis.  
 11 Hoc undante salo demisit carbasa lembus,  
 12 et tuto sese litore continuit.  
 13 Sed tuus ignivomo surgens a numine Caurus  
 14 impulit insueto nunc dare vela freto.  
 15 Solvimus, aspirent zephyri, trudantque procellas,  
 16 et maris effulgens stella, Maria, fave.  
 17 Non ego te praeter in votis numen habebo ;  
 18 numinis es mater numine plena veni.  
 19 Dent alii vetitis sua (Bosti) vela deabus,  
 20 sit Nereus illis, sit nigra turba comes.  
 21 Unus in astrifero nobis Deus exstat Olympo,  
 22 et terrae et liquidis qui dominatur aquis.  
 23 Hic nauclerus erit, hoc et nos remige pontum  
 24 currimus, evictis Syrtibus et scopulis.  
 25 Tu votis comitare ratem quam saepe revisam  
 26 conspicis a notis sedibus ire procul.  
 27 Cautibus allisa si forte admiserit undas,  
 28 vel musco rimam vel pice coge. Vale.

ROBERTUS CAGUINUS PETRO SUCCURRIBILI, DOCTORI THEOLOGO.

P\_11 v.1 Forte rogas cur nos Helicon nec musa citarit  
 2 ludere, dum longam pergimus usque viam ?  
 3 Anxia versiculis interdum cura levatur,  
 4 et narrata rapit fabula dulcis iter.  
 5 Fasce minus premitur demulsus carmine vector,  
 6 et vigil ad lychnos pensa puella rotat.  
 7 Non animo, mi Petre, putas tepuisse Robertum.  
 8 Defuit ars illi, defuit atque comes.  
 9 Nam quibus incumbunt ingentia seria regum,  
 10 hos jocus et Clio non revocanda fugit.  
 11 Ut spinis incultus ager et vepribus horret,  
 12 sic dissueta modis lingua diserta jacet ;  
 13 nec numeros collega, feras sectatus et apros  
 14 curat, agit canibus, et volat accipitre ;  
 15 armat equos bellis, et figit arundine costas,  
 16 victor et a Medis cum Macedone redit.  
 17 Talia dum narrat generosior Hectore miles,  
 18 quis possit Musis dexter adesse locus ?  
 19 Artibus his plerumque dies praetexitur umbra.  
 20 Occupat et cenas, ardea, vultur, anas.  
 21 Praeterea pelagi surgentes undique fluctus,  
 22 plectra chorosque sono destituere suo.  
 23 Quid non ora procax, et grandine mixta procella  
 24 terreat, et stagnans dum ferit unda ratem ?  
 25 Excidit omne mihi Musarum numen et ardor,  
 26 nec vertigo meum deserit ipsa caput.  
 27 Mens tamen ardescit reges componere pace,  
 28 si Maia genitus rectus in ore sonet.

Ex Londoniis xx Novembris.

## DOMINICUS MANCINUS ROBERTO GAGUINO S.D.

P\_12A v.1 Caedua silva mihi surgit, sed acuta bipennis  
 2 est tibi, tum dure falcis acumen habes.  
 3 Si stipes peccat, dura concide bipenni.  
 4 Si fruticant rami, falce secare velis.  
 5 Stipes erit totus, si non placet, ipse revulsus.  
 6 Nec sine de ramis luxuriare comas.

## IDEML AD EUNDEM.

P\_12B v.1 Digna tuo ferro vereor sit silva recidi,  
 2 sed potius flammis illa abolenda tuis,  
 3 aut Jove sub pluvio ne sit compulsa natare  
 4 inscia, quae flammas semper et odit aquas.  
 5 Te, Vulcane, precor, precor et tua numina Tethys,  
 6 ut silvae parcas arboribusque meis.  
 7 Si tamen ipse furor cogit, scitote quod una  
 8 si per vos pereat, altera silva subit.

## AD DOMINICUM MANCINUM RESPONSIO.

P\_12C v.1 Ignibus aut rapido ne mandes flumine mergi  
 2 quae, Mancine, facis carmina digna Jove.  
 3 Amphiona ferunt Thebarum moenia cantu  
 4 et silices duras exagitasse lyra.  
 5 Numina sic potis es vel taetros nectere manes,  
 6 tam purum et dulce conficis arte melos.  
 7 Non ergo audebo saeva temerare bipenni  
 8 quos deceat lucos religione coli.  
 9 Se tollant potius laetis ad sidera ramis,  
 10 atque his Idaeum cedat et omne nemus.  
 11 Hic satyri ludant, et tangant plectra Napaeae,  
 12 Delius arguto pollice carmen agat.  
 13 Sic me (crede) tui versus, Dominice, levarunt,  
 14 ut solet aegrotos dum venit alma salus.

ROBERTI GAGUINI APUD CORDUBAM FEBRE GRAVITER AEGROTANTIS,  
 AD DOMINI SALVATORIS MATREM ORATIO.

P\_13 v.1 Si tento infelix et crimine sordidus aures  
 2 nunc pulsare tuas, nimium seu urgere querendo,  
 3 da veniam algenti, divum clementia : nobis  
 4 te dedit antidotum quaerendae (Virgo) salutis.  
 5 Tu gemitus, tu vota, preces, suspiria, fletus,  
 6 innata pietate levas, te semper egentem  
 7 uberiore sinu populum curasse, fides est.  
 8 In tua nunc igitur admitte sacraria, mater.  
 9 Aegroti lacrimas, moveat te languor iniquus  
 10 quem tremulo induxit exardens corpore febris,  
 11 jam carne exesa pellis rugatur, et ipsis  
 12 ossibus exile vix praebet pendula tegmen.  
 13 En dolor articulos (contractis nexibus) artos

14 pandit, et obtusi fugiunt introrsus ocelli :  
 15 ipsa etiam facies sectatur imagine larvas,  
 16 officioque vacant titubantia frigore membra,  
 17 semianimum fulcro decumbit inutile corpus,  
 18 nec baculo substante capit natura juvamen.  
 19 Sola subest vacuo mens pectore, nescia sive  
 20 deserat exsangues, vel adhuc suffulciat artus ;  
 21 sive sub extremo voluisti sole Robertum  
 22 (o totiens miserata parens) occumbere : quisnam  
 23 posteriora feret morienti verba salutis ?  
 24 Quis funus ducet, quis condet inane cadaver  
 25 busto, et tristem animam mandabit in astra vocari ?  
 26 O si inter dulces, si fidos inter amicos  
 27 pauca sub egressu licuisset, non voluere  
 28 Fata, nec inflexae Parcae voluere : recedam  
 29 incuratus, egens supremum affantis amici ;  
 30 tandemque implacida humabor tellure, perennis  
 31 incola Celtiberum nulli memorandus. Abito,  
 32 infelix anima, pereuntem Hispania molem  
 33 servet, obtritum jam devoret horrida corpus.  
 34 Sed praestat (famuli) cineres dispergier austris,  
 35 seu mandare freto : pennis velocibus, illi,  
 36 per juga Pyrenes referent fortasse coactos  
 37 Belgarum in sedes, vel ponti saevior unda  
 38 asseris obsequio notam ructabit in algam.  
 39 Proderit occiduos quocumque evadere manes.  
 40 Tunc ergo inflexa mater, mitissima mater,  
 41 spectare hoc poteris ? Multum vocitata, refelles  
 42 vota precantis opem, dubio jam funere, claudes,  
 43 hei, gremium misero, claudes praecordia servo  
 44 exitium patienti ? Tu quondam ultro solebas  
 45 ferre manum, relevare pios, miserarier aegris.  
 46 Quid nunc lenta gradum differs ? Quid tardius audis  
 47 supplicis aegroti miserandos cuique precatus,  
 48 si forte ob noxam veniam aut dignare vocantem,  
 49 atque ideo immeritis precibus non annuis : assit  
 50 libera quae semper patuit miseratio, quae tot  
 51 vel culpa implicitos materna sponte levavit.  
 52 Si meritos tantum quanta est clementia, quantus  
 53 vulgati dulcoris honos, tum viscera nudas,  
 54 dulcia tum expandis, tum porrigis ubera, si cui  
 55 post scelus admissum redeunti protinus astas,  
 56 non planctu emollita pio. Quis grata putabit  
 57 quae fletu expresses, magni est quodcumque gemendo  
 58 torseris. Exurge non ficta precamina, sano  
 59 corde damus, morimur. Potes, o medicina, dolenti  
 60 non praestare manum ? Exspectas fortasse querelis  
 61 cessisse albentem. Jam desino, nec queror ultra.  
 62 At tua per Gnati morientis vulnera, perque,  
 63 Virgo, tuum nulla violatum sorde pudorem,  
 64 perque tibi assuetum miserandi (femina), morem.  
 65 (Dum vivacis adhuc trepidant spiracula fibrae)  
 66 ocios accedas, dextram substerne labanti.  
 67 Da redditum in patriam. Da visere rursus amatos,  
 68 ut me ipsum quondam socios, quondamque sodales.  
 69 Pronus in aede sacra celebrarunt quam tibi Franci ;  
 70 laetitiae titulo numen venerabor et aras :  
 71 ipse ego fulgenti mater face casta litabo,

72 exsolvam et Gnato divi libamen honoris.

AD DIVAM MARIAM SALVATORIS MATREM.

P\_14 v.1 Non satis audenter tibi, Virgo nescia sordis,  
 2 sordidus ipse malis debita vota fero.  
 3 Sed me sumpta salus, devicto funere, cogit  
 4 te benefactricem laudis honore sequi.  
 5 Decumbebat iners tremulo spiramine corpus,  
 6 atque effeta caro mortis agebat iter.  
 7 Tu precibus clamata meis, tu, Virgo benigna,  
 8 protinus ad robur languida membra vocas.  
 9 Hac ope defensus grates et munera pono,  
 10 atque aram et numen pronus adoro tuum.  
 11 Tu posthac si morbus erit, festina medetor,  
 12 ne cum carne ruat mens superata malis.

AD MARIAM VIRGINEM.

P\_15 v.1 Ecce reus voti, composque salutis et aurae,  
 2 hanc cerae et lychni reddo Maria facem.  
 3 Juvasti orantem, solventem debita serva,  
 4 et concede data Virgo salute frui.

PETRO CARMELIANO GAGUINUS.

P\_16 v.1 Vis, Petre, ingenue quod de te sentio dicam  
 2 dum me ornas variis laudibus et titulis ?  
 3 Conspicuum tu lumen habes, distantia cernis,  
 4 ast acies longo fallitur a spatio.  
 5 Arthere de summo spectans caligat ocellus,  
 6 et taurum dicis qui sit asellus iners.  
 7 Saepe mihi occurrit veri consultus Apollo,  
 8 et "Vires, dicit, nosce, Gaguine, tuas.  
 9 Quod tamen est nobis superum pietate tributum  
 10 laudari tanti non pudet ore viri,  
 11 nec te blanditiis credo palpare Robertum,  
 12 cui tecum est una, Carmeliane, fides.  
 13 At nunc si quod habet studiorum munus et artis,  
 14 aeternum fuerit clare poeta tuum."

GAGUINUS JACOBO PUBLIO POETAE.

P\_17 v.1 Dulce tibi omnino felici sidere nomen  
 2 aptavit Phoebus, et sua plectra deae.  
 3 Suavius expromis meditatum carmen olore,  
 4 et Flacco melius concutis arte lyram.  
 5 Jam posses furias aegro pulsare Sauli,  
 6 et timidos lepores sistere carminibus.  
 7 Me vero algentes et pigrum ferme veterno  
 8 impellis balbis reddere verba labris.  
 9 Sed ne forte pares, tamquam visurus Olympum,  
 10 me spectare oculis : fige, poeta, pedem,  
 11 non quemquam Ausonium docuit quem Graecia vatem,

12        sed tristem Gallum viseris et residem.  
 13        Musa mihi numquam nec felix gloria favit.  
 14        Sors, mens, lingua fuit undique semper inops.  
 15        Si me fama tulit per terras, forsitan audax,  
 16        ne crede amenti quam levis aura rapit.  
 17        Surgit ab exiguo sursumque extollitur ingens.  
 18        Credula decipitur, fallit et ipsa leves.  
 19        At si concedes, et religiosa subibis,  
 20        te laeto accipiam pectore, Baccho, epulis.

## JOHANNI ANDREAE FERABOS POETAE LAUREATO.

P\_18      v.1        Magna repromittis caelesti voce, Johannes,  
 2                unde queant linguae peregre culta loqui.  
 3                Sic potuit silvas duris cum cantibus Orpheus  
 4                Infernumque Jovem nectere carminibus.  
 5                Ast dicam ingenue nullo blandimine verum.  
 6                Nostrates spernunt Nestoris ore trahi.  
 7                Sunt nugae quaecumque Maro, quaecumque beatus  
 8                dixerit orator, sit licet Isocrates.  
 9                Ingenium fateor est illis quale per orbem  
 10          non aliud forsan celsius invenias.  
 11          Sed linquae et verbi tantum modulamina curant,  
 12          quatenus ad Scotti scripta legenda sat est.  
 13          Si quis aquas Heliconis amat vel numina, rident.  
 14          Laeserit ille fidem quem juvat illa sequi,  
 15          et quos principio tibi spectas esse faventes,  
 16          protinus ad summum tertia lux abiget.  
 17          Difficile ingreditur regina oratio mentem  
 18          vestibulo cuius nulla Thalia sedet.  
 19          Hinc probata mammis lalasse rudimina rhetor  
 20          quem bene dicturum gloria celsa manet.  
 21          Haud tamen idcirco frustra per pulpita cantas.  
 22          Unus et alter erit quem tua scita trahant.  
 23          Et jam post Latio tibi partam carmine famam,  
 24          nominis ipsa tui Gallia testis erit.  
 25          Te quoque (ne pudeat Gallo cantarier ore)  
 26          dum vita exstabit versibus ipse canam.

## EPITAPHIUM GAGUINI A SE SCRIPTUM.

P\_19      v.1        Christe, salus hominum, meritorum aequissime censor,  
 2                servulus ecce tuus pro carnis lege solutus  
 3                dormit, et exspectat quo mentem examine verses.  
 4                Peccavi, miserere, nec horrida pende flagella  
 5                criminibus : tua sum factura, perennis imago.  
 6                Quod fuit humanum tellus vocat, accipe sanctam  
 7                effigiem, Rex magne, tuam quam percupit hostis.  
 8                Tu vitam et mores, tu mentis condita nosti :  
 9                omnia sunt in spe, tantum miserere Gaguino.

-----